

*Domini Dei nostri, manifestata sunt nobis & filiis nostris &c.* Nequè hanc Versionem Parentis correxit Filius *Andreas Osiander* in Bibliis, quæ postea cum annotationibus succinctis, ex clarissimorum non solum Theologorum orthodoxorum commentariis ac disputationibus, sed & ex sanctissimo *Concordia Libro* edidit. Retinet hanc omninò *Job. Adamus Osiander* in Commentario, subjungitque brevem Exegesin: *Abscondita Jehovæ DEO nostro, seu quæ penes Jehovam, Deum nostrum occulta sunt, & hætenus gentibus abscondita, quomodo sc. Deus noster colendus, & revelata seu manifestata sunt nobis & filiis nostris &c.* Refert ejusmodi Translationem summus Theologus *David Chytraeus*, in *Comment: Secreta seu Mytheria Domini DEI nostri, seu Abscondita apud Dominum Deum nostrum (sunt), At manifesta nobis & filiis nostris: Nec displicet Aliis quam plurimis Lutherana hæc Versio. Pfeifferus, in dubiis Vexatis pag. 318.* secundum contextum optimè eandem fluere scribit, si ita reddatur *Occulta apud Dominum nostrum, sed in tempore revelata sunt nobis & filiis nostris &c.*

VI. Non averfari semper hanc Lutheranam Versionem ipsos peregrinæ fidei ac doctrinæ Professores & doctores, probè scimus & observamus. Fatentur idem *Tigurini* in *Versione* sua in margine. At planè cum *Luthero* facit *Sebastianus Munsterus: Secreta Domini Dei nostri, revelata sunt nobis & filiis nostris &c.* Et *Conradus Pellicanus* ita vertit: *Abscondita Domino Deo nostro, sunt revelata nobis & filiis nostris &c.* Nec à *Luthero* abit *Christophorus Pelargus*, Superintendens quondam *Marchiæ Generalis*, Theologus *Frankofurtanus ad Oderam*, primùm noster deinde *Calvinianorum*, in *Comment. b. l.* Eandem *Lutheri* Versionem in *Belgica* quadam translatione reperiri, faretur ipse *Sixtinus ab Amama* in *Anti-Barbaro Bibl.* scilicet: *De Heymelichheit des Herren onses Godes is onse ende onse Kinderen gheopenbaers gewichtich.*

VII. Sunt tamen nonnulli & ex *Lutheranis* magni nominis Viri, qui aliter textus ebraici sententiam exponere volunt. Sic *Glassius* in *Philol. Sacr. Lib. IV. Tr. 2. obs. 6. Not. 1. pag. m. 679.* *Occulta sunt יהוה Domini: sed revelata לנו וילבנינו nostra sunt, & filiorum nostrorum.* Quæ Translatio minimè etiam displicet *Micralio* *Lib. 1. de Prædestinatione, Cap. VII. §. 13. pag. 339.* *Incomparabilis noster Dorschaus, contra Triglandum Dissert. 1. sect. 1. cap. 1. pag. 59.*